

predicti iudices sive rectores statuta civitatis Tergesti et omnia
 alia capitula consilii que per omne consilium Tergesti capta
 fuerint et firmata secundum formam statutorum Tergesti. Et
 non ponere in maiori consilio aliqua in statuto contenta, etiam
 22 A pena quinquaginta libr. par. pro quolibet et vice // [qualibet] 5
 contrafacta. ¶ Et facere ponere in scriptis omnes officiales
 comunis Tergesti in quaterno sive libro ad hoc deputato. ¶ Nec
 in aliquem locum ire extra civitatem Tergesti in quo moram
 fatient ultra unam diem, sine licentia domini potestatis, et po-
 testas eis vel alteri ipsorum dare non possit licentiam fatiendi 10
 moram extra civitatem Tergesti ultra quatuor dies sine consen-
 su suorum collegarum et consilio rogatorum, nec etiam colege
 potestate deficiente. ¶ Item executioni mandare omnes senten-
 tias per dominium Tergesti latas et etiam arbitratorias firmas
 et ratas habere atque tenere nec aliqua occasione(m) contra 15
 facere vel contravenire, etiam pena decem libr. et satisfatiendi
 totum dampnum illi cuius illa sententia fuerit, et hoc a(d)
 media marcha frx. predicta inferius. ¶ Item non habere socie-
 tatem cum aliquo mercatore Tergesti nec cum aliquo utente
 Tergesti nisi in utilitatem comunis, exceptis colegancis factis 20
 ante introitum sui regiminis. ¶ Et quod nullus rector vel iudex
 tempore sui regiminis possit vel debeat emere aliqua merci-
 monia causa revendendi, tam vinum quam alia mercimonia
 per se vel alios nomine ipsius, ulo modo vel causa, sub pena
 vigintiquinque libr. par. pro quolibet contrafatiente et qualibet 25
 vice. ¶ Item non recipere donum vel exenium aliquod ab
 aliqua persona habente aliquam causam coram eis, sub pena
 vigintiquinque libr. par. pro quolibet contrafatiente et qualibet
 vice contrafacta. ¶ Item non recipere aliquid de bonis comunis
 preter suum salarium per comune stabilitum, etiam sub pena 30
 dupli comuni(s) solvenda, quod salarium recipia[n]t solum de
 manu camararii comunis tantum. ¶ Item satisfacere suo ten-
 pore omnibus suis offitialibus, tam sue curie quam aliis, suum
 salarium pro comuni et omnibus volentibus a comuni Tergesti
 suo tempore, etiam sub pena solvendi de suis propriis denariis. 35
 Et nullum equum accipere mutuo ab aliquo cive vel habitatore
 Tergesti ¶ Item non recipere ultra salarium quod recipit unus